



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Reverendissimi Ac Illustrissimi Domini Domini Francisci
Fenelonii Archi-Episcopi Cameracensis, Et Quondam Ab
Humanioribus Litteris Serenissimi Ducis Burgundici
Telemachus**

Fénelon, François de Salignac de La Mothe

Francofurti, 1744

VD18 11007532

Lib. XVI. Argumentum. Telemachi cum Phalante ob captivos controversia.
Eius de Hippiade Phalantis fratre victoria dolorosa. Adrasti improvisa & per
dolum impressio. Prælium. Cædes Hippiades & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69283](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69283)

ris manu. Arsit paulò post meum adventum Ilion. Reliqua nôsti. At verò calamitatis meæ memoria in animo meo vel tum alebat Ulyssis tam acerbum odium, ut omnis virtus eius extinguere non valuerit. Ceterùm aspectu filii, tam æqualis genitori, tam amandi mihi, emollior, ut & patrem amare incipiam.

TELEMACHUS.

LIBER XVI.

DUm casus suos Philoctetes commemorat, videbantur omnes sensus Telemachi suspendi. Certè ne minimo corporis motu dicenti obstrepuit. Hærebat totus in tam illustri persona Herois. Dissimillimos animorum sensus, qui iam Herculem, iam Philocteten invaserant; & aliàs Ulysses, aliàs Neoptolemum turbabant, omnes & singulos eo, quo in narrationis seriem incidebant, ordine in vultum Telemachi candor ingenuæ indolis induxit. Aliàs immemor sui, ignarusque quid ageret, vocem non integram interiecit loquenti. Aliàs videbatur toto animo cogitans ut fere, qui studiosè gravissima pensitant. Credi potuisset, cum Philoctetes Neoptolemum rudem ad simulationem, ideòque perplexum, commodiùs exprimeret, Telemachum eadem ambiguitate intricari, ipsùmque Neoptolemum rursus pudefieri in Telemacho.

At Adrastum Deorum fideique, qua commercia humana conflantur, contemptori, fœderatæ copię petebant cum industria. Difficillimum Telemacho erat, tot regibûs mutua æmulatione ferventibus,
fatis

fatis ad omnia prudentem esse. Oportebat enim & illorum omnium suspiciones, & causas offensivonum prævertere. Ingenium eius minùs blandum, quàm rectum atque integrum, ferè aspernabatur, quæ cæteri ambiunt hominum. Torpebat ad divitias. Sed nec artes investigabat, quibus ditaret alienos loculos. Nobilitas animi eius commendabatur, quod propenderet ad honestatem. Argui tamen posse videbatur languentis in alios officii, credique secura amicitiarum; nec amica largiendi, nec studiosa referendæ vicis cultoribus suis, nec attenta ad merita distinguenda hominum. Destinata semel non pensabat ampliùs. Ad hunc fastum arrogantiamque mores eius invito Mentore Penelope mater detorserat, unde etiam illis rebus, quæ maximè in iuvene debebant amari, afferebatur obscuritas. Tantus erat æstimator sui, ut crederet se prævalere universis bonitate naturæ: genùsque hominum ideò duntaxat in orbe collocatum à Diis, ut in iis voluntatis suæ haberet mancipia, quorum esset, cupiditates domini solerter præsentire, studiosè adiuvere, in eùmque velut præsentem Deum omnia referre: satis denique à se compensari obsequia, si admitteret. Debebant posse fieri, quæ libebant ipsi. Minimâque in istis mora impetum effervescentis eius ingenii movebat.

Has naturæ affectiones consideranti censendus fuisset, nec nisi se amare ipsum posse, nec nisi gloria suâ delectari, & quibus adiuvetur impotens cupiditas. Ceterùm quòd tam sine discrimine habebat universos, nullamque curam præter illam suâ, vitium erat cupiditatum violentiâ semper incitati eius animi. Adoleverat inter maternas blanditias,

ditias, miserabile exemplum illorum, qui vulgo meliores genitores fortiuntur. Fortuna quanquam pertinaciter & à teneris eidem adversa, non poterat hos impetus, hanc depravatæ indolis ferociam extinguere. Nudus omnium, ærumnis coopertus insolentiam tamen non detraxit moribus. Depressaque identidem, reparatis viribus, erigebat sese; veluti admittendis flexibus non inepta palma nec maximo cedit ponderi, sed contra enixa perpetuò reluctatur.

Ceterùm quamdiu cum Mentore iuvenis fuit, hæc ignorabantur vitia, decresebântque in dies. Ut enim asper & ex pascuorum licentia petulantior sonipes, quem nec abrupta montium, nec ad immensitatem excelsæ voragines, nec aquarum torrentium obiectus absterruerunt, sæpe notam unius hominis vocem dexteramque sequitur: ita turgentem altis spiritibus Telemachum medio iuvenium cupiditatum impetu, cursûque vel unicus à Mentore aspectus inhibuit; admonitumque salubrium præceptorum, revocato honestatis affectu, emendavit. Decedebat ex vultu iuventutis ferocitas castigata senili prudentia, priórque facilitas sese restituebat ori. Neque Neptunio Tridenti in infanientes fluctus aërisque intemperies, quantum in Telemachi impetus Mentori imperium.

At postquam ab hoc magistro suæ ipsius fiduciæ est permissus, compositi tantisper motus velut magnæ & vehementes aquæ obversa ingenti mole se laxârunt. Oderat Lacedæmoniorum superbiam, Phalantis maximè, qui illos ducebat. Tarentum condituri huc venerant loci, iuvenes ferè, & ex nascendi tempore (quippe in Phrygiam profectis Græcis
editi)

editi) longè deterrimis moribus inde à teneris imbuti. Natales spurii, matrum licentia, indulgentia educantium, qua nihil fuit intemperantius, omnino peregrinam quandam importunitatem sævitiamque ingenii eorum inferuerat. Prædones potius credidisses, quàm colonos è Græcia.

Et Phalantis quidem præcipua cura erat, Telemacho, quoties potuit, contradicere. Sæpe in concilio intempestivè se eidem ingerebat dicenti sententiam. Relegabat ad iuvenilis rerumque imprudentis ingenii partus, eius consilia; nec ipsum liberaliùs, quàm affinem mulierum crepundiis, accipiebat. Dispertiebatur Præfectorum auribus errores Telemachi, quos vix Minois tribunalia carpissent; perperam attentus, ut Ithacii mores, non immunes à fastu, invidiæ omnium fociorum obtruderet.

Fortè quidam hostium in manus Telemachi venerant. Contendebat Phalantes, ex lege suos esse, quòd se duce vicissent Lacedæmonii; Telemachus verò cæsís iam fugatisque Dauniis superveniens, ferè otiosus fuisset, nisi quòd condonata vita captivos in castra deduxerit. Contra ille affirmabat suam unius operam, ne Lacedæmonii succumberent, obstitisse; proindéque suam unius esse victoriam. Ergò suam quisque causam defensum contendunt ad unitos reges. Verùm ea fuit Ithaci impotentia, ut etiam minas intentaret æmulo; ventúmque hoc impetu fuisset ad manus, nisi, qui aderant, rixam distraxissent.

Hippias erat Phalantis frater, virtute, robore habilitate agitandi corporis ante alios celebris in exercitu. Æquabatur à Tarentinis Polluci pugna

cæstum, Castori equis moderandi peritiâ. Parem ferè Herculi nervi, & species reliqui corporis fecerat, omnibus autem terribilem amor litium & vecordia; quæ viribus corporis eius, animique longè anteibant.

Hippias ergo videns, quàm ferociter Phalanti insultaret Telemachus, statuit, nondum enunciata regum sententiâ, captivos celeritèr occupatos Tarentum abducere. Quod ubi Telemacho est nunciatum, ira in furorè verfa concussus profilit è concilio; aprique more, spumantis in eius vestigia, à quo accepit plagam, per castra præceps, crebrâque iactatione roborans futurum in vulnus spiculum, oculis requirit hostem. Eo reperto ad primum obtutum furor iuvenis altero tanto accenditur.

Vidisses iam non eruditum ad sapientiæ mysteria à personata Pallade Telemachum, sed aut furibundum hominem, aut rugientem feram impotenti rabie. Siste, occlamat derepente Hippiadi; siste, homuncionum vilissime! Videamus, utrùm mihi valeas, quos vici, eripere. Non abduces Tarentum. Apage, & ad umbrosas Stygiæ paludis crepidines proficiscere. Simulque in hostem emittit spiculum. Ceterùm ea festinatione præcipitis doloris egit, ut perperam demenso vulnere, telum planè innoxium fuerit. Ergo dexteram strenuè transfert ad gladium. Erat hic aureo insignis capulo, iuveni, cum proficisceretur ex Ithaca, à Laërte donatus, instrumentum illustrissimorum facinorum, reperfactus multorum ducum sanguine, cum Epirotas cladibus domaret.

Vix Telemachus hunc gladium strinxerat; cum Hippas ufurus viribus suis, strenuè concreditur eo consilio, ut gladium æmuli manibus eriperet. Sed fractum telum est & retinentis & eripere conantis manu. Ergo medios amplexi sese, comprimuntur. Feras putes, quarum altera alteri iniectis unguibus signat interitum. Fulgurant oculi: coguntur latera: extenduntur artus: curvantur flexi: eriguntur: infiliunt: inflammatur sævitia; iamque arctiùs committi non poterant. Hærebat pede pes; manus manu premebatur: tamque nullum discrimen relinquebant amborum innexa corpora, ut in unum viderentur coaluisse.

At Hippas uti præstabat ætate, ita annis molliorem Telemachum credebatur deiecturus. Et iam perducti ad anhelitum Ithaci lababat genu. Quo viso, acriùs instare Hippas. Actum erat de Ulyssis filio; proximùmque, ut lueret iracundæ temeritatis incontinentiam. Et luisset profectò, nisi in fine pugnam Minerva vertisset, quæ salutem Telemachi curabat absens; eùmque propterea conflictari patiebatur huic ultimo discrimini, ut inde præcepta futurorum erueret.

Ad ferendam autem illi opem Salentum non deseruit. Cœlestem duntaxat nunciam (Iris hæc est, qua nihil celerius) misit; quæ cum incitata levitate pennarum laberetur per immensa aëris spatia, relicto post se ingenti luminis tractu, nubem mira varietate coloris effinxit. Humum non tetigit priùs, quàm impenderet littori, cui applicuerant castra innumerabiles sociorum copiæ. Spectabat è longinquo pugnam, impetus, contentionem, qua ambo luctatores utebantur. Cohorruit

ruit

ruit viso Telemachi periculo. Nubi deinde involuta, in quam tenuissimos vapores coëgerat multo internitente lumine, rixantibus eo puncto supervenit temporis, quo Hippias, sentiens omne robur in lacertos suos concurrisse, sibi pollicebatur victoriam. Traditam à Minerva Ægidem alumno eius præterdit. Unde ille respirare, profligatas vires recipere. Turbatur Hippias, quò oppressum pene hostem videt magis magisque confirmari. Inusitatum & divini quid sentiebat esse, quo audacia vigórque suus elidebatur. Instat Telemachus: aggreditur alio atque alio situ corporis infestus: huc illuc impellit: iactat, urget, premit. Denique arietat in terram; ipse abreptus supino Hippiadis lapsu super æmulum corruit. Eaque fuit utriusque cadentis vis, ut ferè mitiorem casum crediderim esse Idææ ilicis, quæ plures lignatorum manus securésque fatigavit.

Interea Telemachus recordatus, quæ à Mentore didicerat, sapientiæ & fortitudinis præcepta; simul ut sub pedibus Hippiadem aspexit, ab animo suo cœpit castigari, quòd fratrem unius de fociis regibus, ipse socius huc profectus, istis modis fuisset adorsus. Repetebat cum rubore Mentoris disciplinam, saluberrimâque monita. Averfabatur victoriam, quàm retulisset, dignus vinci. At Phalanthem iam non ira præcipitabat, sed rabies in fratris auxilium. Telum abripuerat secum; eoque percussurus erat incumbentem Telemachum, nisi periculum fuisset, ne unâ fratri, quem sub hoste resupinum pulveres obruerant, inferret noxam. Nihil impediēbat Ithacum, quòd minùs Hippiadem perimeret. Sed exclusâ iam irâ id unum laborabat, ut præ-

præferendô restitutum ex vehementi iracundia
animum, qualecunque admisso errori patrocinium
procuraret. Itaque prior erectus in pedes : Satis
mihi est, Hippias, inquit, documentum te habere,
iuventutem meam semper vacare dedecore. Vive,
mihi quidem perpetuum robustæ fortitudinis mi-
raculum ! Salvus sum Deorum tutelâ, quibus te
oportet decedere. Age! deletâ omnis odii memo-
riâ in delendos Daunios iungamus & vires & con-
siliium.

Hæc loquente Telemacho, humo se colligit
Hippias, sudore & sanguine non magis, quàm ve-
recundia perfusus, nec occulta fremens indigna-
tione. Phalantem, tam magnanimo largitori fra-
ternæ vitæ mortem inferre non ausum, consilio &
potestate sui furor privaverat. Accelerati reges
hinc Telemachum, hinc Phalantem cum fratre tra-
hebant in diversa ; quorum ultimum oculos attol-
lere non sinebat dolor tam malè multatæ insolentia
suæ. Milites autem satîs mirari non poterant,
hanc ætatem, nondum adultis viribûs, suffecisse
Ithaco ad prosternendum adversarium, cui nega-
bant superiores aut firmitate corporis aut mole
eos ipsos fuisse, quorum temeritas Olympum, de-
turbatîs Diis, sedem decreverat.

At multum abfuit, ut Telemacho læta victoria
existeret. Dum multitudo suspicit, dum alia ex
aliis argumenta invenit admirandæ eius virtuti :
ille solus in tabernaculum se coniicit, in admisso
errore prolixissimè erubescens, & acerbissimus ac-
cusator sui. Detestabatur fervorem præcipitis in-
genii : quàm ab æquo, à ratione consueverit abire
in vehementiori iracundia, agnoscebat : advertit-
que

que

que hanc agendi insolentiam ex animo incredibiliter vano, angusto, humilique prodire; veram autem excellentiam ex affectuum moderatione & amore iustitiæ, & rursus ex modestia morumque facilitate nasci. Quibus, etsi tunc omnino perspectis, alium tamen, & meliorem se fore toties reus sperare non audebat. Itaque concepit dissidio sese increpantis arguentisque animi, ita tristitiæ se dabat, ut rugire potius videretur, quam lamentari.

Biduum in solitudine absumpsit; non prodire, non sociari cuiquam ausus, ac velut sponte captivus & vindex sui. Vah! clam exprobrabat sibi: Egone aliquando videre Mentorem? Egone Ulyssis genus, sapientissimi post natos homines, & totius Græciæ longè modestissimi? Méne huc Mentor, huc Idomeneus, ut fœdere unitos populos urbibus, dissensionibus divellerem? Horumne sanguinem, an Dauniorum oportuit fundere? Me infanum bellatorem, qui iaculi mei officia nescierim! Hippiadem impar viribus provocârim! Sperare, nisi mortem, haud poteram, probrumque amittendæ victoriæ. Et quid tum? fuisset scilicet. Imò fuisset ego; ille temerarius, ille vecors, ille ex saluberrimis consiliis nihil proficiens, ex optimis monitis deterrimus, inutilis Telemachus. Idem & vitam & vitæ ludibrium terminasset exitus. Atque utinam hoc saltem haud temere speraverim, me immunem deinceps fore ab iis, quæ adeò commisisse nunc piget, ut solatium mihi proponere haud valeam. O me tunc iterum iterumque felicem Telemachum! At eheu! forte hæc ipsa non abibit dies, cum iteratis inimicitiis aut
 revol-

revolvar, aut optabo revolvi in idem doloris atque dedecoris argumentum. Hem miserabilem victoriam! hem laudes! non laudes, sed fannas & probra meæ stultitiæ.

Vacanti solitariis doloribus Nestor & Philoctetes supervenêre animô ad eum invisendi. Deceverat Nestor iuveni proponere, in quam incidisset culpam. At facilè deprehenso non occulto mœrore eius; ut afflictum & iacentem erigeret, omissis gravioribus verbis, leniter affatus est.

Ceterùm hæc dissensio bello iniecit moram. Neque enim tutum erat in hostem procedere, adhuc dissoluta domesticorum amicitiâ; nec aberat in horas recens metus, ne Tarentini cum Cretenfibus, quos Telemachus ducebat, repentino furore committerent. Omnia unius Telemachi error turbaverat. Ipsum verò & recordatio tam multiplicis præsentis mali, & timor futuri vehementer afflixit, & quòd videbat, se omnium horum causam existere. Principum omnium summa quoque consternatio fuit. Copias educere non audebant, veriti, ne Cretenfes ob Telemachum, ob Phalantem Tarentini concurrerent; cùm utique in castris, ubi observabantur acerrima diligentia, vix poterant cohiberi. Nestor cum Philoctete in utriusque adversariæ partis tabernacula assiduè commœabat, quoniam in cogitanda vindicta totam mentem Phalantes collocaverat. Non suada Nestoris, qua nihil dulcius, non Philocteris auctoritas erant mitigando efferatum hunc animum, quem insuper fraterni dolores perpetuè irritabant. Contrà modestiorem se dabat Telemachus; tamen adeo eum ægritudo depresserat, ut nullo solatio se pateretur levare.

Ergo

Ergo labantibûs capitibûs membra consternatione torpebant. Totisque castris non minor erat trepidatio, quàm in una familia, quæ, nuper elato principe suo, totius cognationis adminiculo & propagandi spe generis privata est.

Inter hæc mala derepente tumultus exaudiri cœpit. Raptati currus, quassata arma, equorum hinnitus, fremitus hominum, hinc ad cædendos fugientes adhortantium, hinc aut fugam aut vulnera mortemque lugentium. Versati turbinis in modum pulveres ingentem nubem elatam cælo affundebant castris, iunctique mox crassis vaporibus, confuso turbatoque aëre intercludebant spiritum. Distinguebatur etiam à reliquo tumultu quidam occultus strepitus, illi haud multum abfimilis, quem ad cudenda fulmina ex Æthnæ interioribus grassantes ignium procellæ movent. Terror occupaverat animos.

Adrastus, ut erat vigilantissimus infractusque ab belli incommodis, improvisum militem induxerat in sociorum exercitum. Certior factus itineris eorum, nequa indicia adventus sui deprehenderent, curavit. Incredibili vexatione montem circumvectus est, cuius aditus omnes obsidebant Græci, valde publicèque existimantes, occupatis angustiis, tantum distare, ut deberent suspicari periculum: ut etiam crederent liberum ipsis fore, adiunctis, quæ adhuc opperiebantur, auxiliis, inde in diversa montis parte tendentes Daunios opprimere.

At Adrastus (prodigus magis, quam largus æris, ne ignoraret occulta hostium) de hoc consilio edoctus est. Nestor quippe & Philoctetes, quamquam

quam insigni sapientia, scientesque rerum belli, haud satis, quæ destinaverant, tegebant. Et Nestor quidem ætatis suæ ruinam solari plus æquo amabat narrandò, quæ utcunque honesta ipsi & decora poterant esse. Philoctetes autem, parcior sermonis, sed promptioris fastidii, vel leviter provocatus aperiebat devota silentio. Erant itaque, quorum calliditas invenit viam extrahendi, quidquid infimis recessibus mentis ille crediderat. Sub ipsa adè iræ initia impotens sui prorumpebat in minas, iactabatque esse sibi certa auxilia, quæ vellet, obtinendi. Quodsi vel leviter suspicabatur, de his, quæ afferebat, mediis dubitari; illico & temere ad ea promenda lapsus, occultissima quæque animi sui ad audientes proferebat; pretiosum scilicet vasculum, sed tenuissimè crebròque fissum, nec satis fidele continendis liquoribus: tantus quippe dux retinere arcana non poterat.

Erat hæc utriusque regis fragilitas, cui à corruptis per Adrastum hominibus non semel illusum. Circùm adstrepebant perpetuò Nestori perpetuas, ieiunâsque rerum, quas gessisset, commendationes: triumphorum admonebant: demirabantur providentiam: nec intermittebant unquam, quæ in laudibus ab eo referrentur, occinere.

Aliter, neque tamen minus impigre, in iram præcipiti Philocteti impositum est. Implebant aures eius tantummodo difficultatibus agendarum rerum, importunitatibus temporum, impedimentis, erroribus desperatæ emendationis. Quibus statim atque præfervidum ingenium eius concitabatur, nihil prudentiæ, nihil Philoctetis in Philoctete remanebat.

Contrà Telemachus, quanquam multa perperam, ut vidimus, gessit, certè à noxa violati arcani alienus fuit. Tectus esse magistrâ fortunâ didicit; primâque pueritiâ eius silendi exercitia acuerunt, cum matri salubre esset, quæ ad ipsam pertinebant, procorum cognitioni subtrahere. Noverat ergo ita loqui, ut nec arcanum diceret, nec mendacium. Quid? quòd ne arcanorum quidem hominum mores circumspèctos & reconditos præ se ferens, ita premebat tacenda, ut videretur ignorare; quippe semper liber, agens ex ingenio, sine fuce, atque ut de illis unus, quibus in labiis (quod dicimus) habitat animus. Dictis, quæcunque poterat sine periculo, omnino sciebat commodè, & velut amplius dicere nihil attineret, tacere, quæ valuissent suspicionem & discrimen creare silendis. Eaque ipsa res mentem eius humanæ cognitioni imperviam, invictâque reddidit. Ne optimis quidem amicorum prodebat amplius, quàm arbitrabatur utile ac idoneum fore aut daturis, quod eos rogabat, consilium, aut explicaturis suam de re proposita sententiam. Unus duntaxat Mentor erat, cui omnino se volebat patere. Et aliis etiam amicis impertiebatur sese, cum discrimine tamen & pro conditione, qua & fidem & sapientiam ipsorum probaverat.

Telemachus non infrequenter expertus, iusto maturiùs ducum consilia manasse in vulgus: Nestorem & Philocteten ea de re monuerat. Ceterùm fiducia longi usus rerum minùs curabant iuvenem salubria monentem. Et verò plerumque senectus monitorem non fert. Mancipium est consuetudinum suarum, & ferè expers remedii,
quo

quo vitia sua perfanet. Et quemadmodum perperam flexæ arbores numquam vetustate durati stipitis vitia corrigunt; ita in hominibus, qui ad certos ætatis annos pervenêre, desperanda est quorundam errorum emendatio, qui nimirum unâ veterascentes cum ipsis, se in intimas medullas eorum insinuârunt. Equidem agnoscunt ferè, sed postquam ita invaluit malum, ut evelli non queat. Gemunt, at inutiles gemitus: quoniam non nisi teneriori ætati facultas suppetit ad frugem referendæ voluntatis.

Erat in exercitu Eurimachus quidam, natione Dolops: eruditus ad assentandum, omniumque ingeniis Principum aptus, studiisque eorum inseruiens magnâ gratiâ pollebat, quam studiosa solertia placendi tuebatur. Deonerabat ille molestiâ, quidquid regibus libebat aggredi. Rogatus consilium; aliàs præsciens, quid singulos moveret, petentium moribus accommodabat sententiam. Lepidus festivusque, ac ignaviæ ridiculûs infestus, ceceum se dabat potentioribus; laudis tam peracutus quàm delicatus artifex, ut nec modestissimos offenderet. Serio agebat cum gravibus, facetè cum amantibus sales; tam facilè imitatus diversos mores, ut ingenium, non artem in eo esse crederes. Homines, quorum candor & probitas mobilitatem non suscipit, certamque virtutum disciplinam consecatur; numquam placuissent regibus, quibus dominatur cupiditas, quantum hic Dolops histrio. Nec rerum belli, nec pacis ignarus erat; observansque fortunam suam, Nestorem sequebatur. Habitus inter fideles focios, ab animo eius,

admiratione sui non intacto, nec tardioris ad laudes sensus, quæcunque scire libebat, prolicuit.

A Philoctete quidem non admittebatur in necessitudinem. Cererum iracundia impetusque animi eius æquè utilis proditori fuit, quàm cum Nestore amicitia. Quippe ut occulta ex ipso cognosceret, opus haud erat, nisi diversa sentiendo irritare. Adrastus, ut, quidquid acturi erant Græci, rescisceret, hominis istius fidem permagnò emerat. Alebátque certum transfugarum numerum in regum exercitu. Horum iubebat singulos per intervalla dilabi è castris, & reverti ad se. Si quid gravius acciderat, quod scire Adrastum operæ videbatur pretium, ab Eurimacho mittebatur è proditoribus. Abstrusior fraus erat, quàm ut facile potuerit adverti. Nihil enim litterarum ferebant transfugæ. Unde, hïs etiam improvisò exceptis, extra suspicionem erat Eurimachus, cùm vacui reperirentur, qui hosti certiora nuntiatum ibant.

Interim omnia sociorum consilia ab Adraсто prævertebantur. Simul ut à Græcis est consultatum, Daunii opponebant prorsus, quæ destinata discuterent. Cuius quidem causam Telemachus nihil omisit, ut detegeret, regesque commoneret fortasse latentis doli. At quid iuvat sponte caligantibus oculis præire lumen?

Constitutum à ducibus fuerat opperiri ingentem militum manum, aliàs adfuturam. Iamque centum triremes, tutas noctis beneficio, emisserant, quibus illud incrementum exercitus à littore, cui erat appellendum, quòdque exscensionem asperitate loci vehementer impediabat, eò citiùs debeberetur
ad

ad propinquas castris crepidines. Quod dum fieret, nihil metuebatur ab hoste periculi, quoniam angustias vicini & inaccessi montis occupaverant, quem mari Apenninus obiicit. Galefum appellant fluvium, ad cuius ripas Græcorum exercitus confederat, propemodum excurrentes ad mare. Campetres circum loci, pabulo abundantes frugibusque, iumenta & militem alebant. Adrastus post montes stabat, quos nunquam credebatur penetraturus. At ille sciens, coniunctos reges adhuc laborare copiis, adventare ingentia auxilia; iamque ex iis nonnulla præstolari naves; malè denique à Telemachi & Phalantis dissidio consentiri: ad capiendum ingentem circuitum se omni festinatione accinxit. Dies igitur noctesque secundum maritimam oram exercitum rapiabat per itinera, non tentanda, ut ante hoc tempus putabatur, humano vestigiò. Adèd iuncta audacia perrinaci industriæ vincit etiam victrices moras; omniâque ferè in eorum potestatem cadunt, qui & audere didicerunt & pati. Merentur captari insidiis, opprimique, qui, dum factu difficilia monstris adscribunt, se dedunt ignaviæ.

Primo mane Adrastus missas à regibus naves occupavit. Leviùs custodiebantur, Græcis scilicet de hoste securis. Unde iis sine pugna potitus, diligentissimèque usus est ad traiciendum exercitum, ubi Gelafus mare subibat. Quo factò, qua maxima celeritate poterat, adverso flumine contendit. Qui in primis versùs Gelafum stationibus erant, navibus putabant advenire expectata auxilia. Unde ingens ab iis orta exultatio. Sed Adrastus priùs, quàm nosceretur, exposito milite, in incautos im-

paratósque reges, castráque incidit, nec clausa munitionibus, nec defenfa aut ordine, aut imperio, aut armis.

Tarentini, quos Phalantes regebat, in ea castrorum parte tendebant, in quam à Dauniis prima, támque strenua facta impressio, ut Lacedæmonii, quamquam egregiæ iuventutis, derepente oppressi sustinere non potuerint. Dum discurrunt ad arma; dum sese ipsa festinatione impediunt: Adrastus castra incendi iubet. Protinúsque è tabernaculis sursum actæ flammæ; referentes torrentis strepitum, qui in agros incitatus impetu, vetustissimas quercus cum spe propaginis earum, horrea cum frugibus, cum pecoribus stabula abripit. Grassabatur incendium in alia atque alia cubicula militum, ventis diffusum: paulóque post speciem totis castris faciebat annósi nemoris, quod à scintilla correptum præter cineres nihil relinquet.

Phalantes omnium maximè certus, proximum esse discrimen, eius depellendi rationem nequicquam requirebat ab animo. Nisi excederetur castris, videbat perituros incendio suos. Sed nec ignorabat, recessum inde turbulentum fore, instante victore. Nihilominus stationem suam deferere Lacedæmonios iubet, mediam duntaxat partem nec iustè perarmatos. At moram colligendi sese Adrastus exemit, hinc expedita sagittariorum manu, inde funditoribûs Phalantis militi plurimum infelusus. Ipse stricto gladio antegressus agmen, quod ex pugnacissimis Dauniorum coëgerat, ad incendii lucem premebat fugientes, demetens ferro, quos ignis non absumpserat. Non sanguine, qui totum corpus eius perfundebat, non
strage

strage ulla satiabatur hostium ; ut gregum pastorumque lanienæ instantes feras minùs sævire crediderim. Succumbunt Phalantis copiæ, torpenteque desperatione. Terror mortis, furorque præcipitans obruebat facultatem surgendi in pugnam. Frigebant rigore adstricti artus, genuaque vacillabant, ne quidem suffectura in fugam.

Phalantes, cui à pudore, rerumque desperatione meliorum non nihil vigoris supererat, cælum sublatis oculis manibusque obtestabatur. Hippias ante pedes eius corruerat, terribili Adraasti regis conscissus manu. Volutabatur in arena porrectus. Atrum & ebullientem sanguinem præcipitabat magis, quàm emittebat lethale vulnus, quod secundùm latus acceperat. Arcebant vitale lumen coactæ palpebræ, animaque inter ultimos furoris conatus unà cum effluentibus venarum reliquiis extrusa. Phalantes & ipse cruore Hippiadis, quem ab interitu vindicare non valebat, superfusus, ingenti vi hostium cingebatur, ad eum prosternendum totis viribus incumbentium. Clypeo innumerabilia tela ingesta, corpore non pauca vulnera exceperat: suos è fuga colligere non valebat. Atque hanc fortunam eius, quamquam videbant, non commiserabantur Dii.

TELEMACHUS.

LIBER XVII.

Intuebatur ex Olympo has strages Iupiter ; evolutisque fatis duces singulos inspexit, quorum stamen violatura hæc erat dies. Dii in Iovem acriter diligentèrque contuentes, quid fieri vellet,